

illis Deo attulisset; imo, ut Concilium Tridentinum supra monuit, neque posset in se gloriari, et non in Domino, cujus tanta est in homines bonitas, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona, ut etiam dixit Cœlestinus Papa, in epistol. 4 ad Episcop. Galliæ, capit. duodecimo. Illis ergo verbis exaggerat Christus misericordiam Dei, qui mercedem promittit pro operibus quæ ipse donat, et ipsi utilia non sunt, sed operantibus, Deoque multis aliis titulis debentur, sive ex præcepto, sive ex gratitudine, sive ex charitate, aut religione. Et consequenter humilitatem commendat, ut diximus. Ac denique insinuat eum qui tantum præcepta implet, nihilque liberale seu superogationis accumulat, non mereri a Deo specialiora subsidia, non quidem quod promissam mercedem non mereatur, sed quod ultra illam nullum alium peculiarem favorem dignus sit a Domino obtinere. Et hoc ultimum maxime accommodatum videtur parabolæ, ut dictus auctor egregie prosequitur.

7. *Ad secundum fundamentum in eodem num.* 1. — Ad rationem respondetur, illam in omnibus operibus, etiam non præceptis, habere locum; unde ad summum probat nostrum meritum apud Deum non esse de rigore justitiæ, quia meremur per dona ipsius Dei et per opera quæ illi sunt multis titulis debita; imo magis illius sunt quam hominis. Non tamen probat illa ratio nostra opera non posse esse simpliciter meritoria, etiam si præcepta sint, quia præceptum solum addit quamdam obligationem, quæ non magis impedit meritum, quam quælibet alia ratio debiti. Neque est similis ratio de merito apud Deum et apud homines; nam inter homines consideratur valor operis, juxta quantitatem laboris in utilitatem alterius impensi; apud Deum autem moralis bonitas præcipue spectatur ex parte operis, quia Deus, ut ait D. Thomas, ex bonis nostris non quærit utilitatem, sed gloriam, quæ ex bonitate operum resultat, et a nobis dari Deo censetur, quatenus propria voluntate ea libere facimus, quod non minus locum habet in operibus præceptis quam in non præceptis, ut ostendi. Ad alteram rationem, respondetur in priori ejus parte falsum assumi, quia neque Christo præceptum abstulit libertatis usum, ut in tom. 4 tertiæ partis ostensum est, et a fortiori neque Virgini, neque aliis confirmatis in gratia, qui, licet, supposita speciali providentia auxilii congrui

illis specialiter promissi seu collati, infallibiliter non peccent, nihilominus simpliciter peccare possunt, ut ex dictis supra de auxilio efficaci facile intelligi potest, et iterum de dono etiam perseverantiæ diximus. In altera vero parte, falsum est quod præceptum tollat libertatem moralem, nam libertas moralis non in hoc consistit quod aliquid possit tam fieri quam omitti impune, seu sine culpa, sed in hoc quod sit facultas agendi et non agendi per intrinsecum rationis usum, sive actio vel omissio licita sit, vel non sit; et in hoc consistit dominium ad moralitatem actus sufficiens; quamobrem in eo sensu immerito distinguitur naturalis libertas a morali. Quod si quis per libertatem moralem intelligat libertatem, seu potius liberationem, aut exemptionem ab obligatione seu necessitate præcepti, sic negamus talem libertatem esse necessariam ad moralem actionem, vel morales proprietates ejus, ut est evidens in actibus peccaminosis et demeritoriis, idemque est in meritoriis, ut ostensum est.

CAPUT VI.

UTRUM SOLUS ACTUS INTERNUS VOLUNTATIS SIT MERITORIUS, VEL ETIAM EXTERNUS?

1. *Tractandæ questionis ratio.* — Videatur etiam auctor in tractatu de Bonitate et malitia actus humani, disp. 10. — Similis quæstio tractari solet a Theologis de bonitate et malitia humani actus, 1. 2, quæst. 20, art. 3 et 4, et in 2, d. 41, et cum illa videtur præsens quæstio de merito connexa, quia meritum ex parte actus in ejus bonitate fundatur; nihilominus tamen mihi visa est hoc loco necessaria, quia et propriam difficultatem habet, et ad alias conditiones meriti explicandas viam parat et utilis est. Adverto igitur actum internum hic appellari, solum illum qui a voluntate elicited est, quia solus ille est formaliter liber. Actus ergo externi imprimis sunt omnes illi qui per externa membra corporis exercentur, deinde etiam illi qui in interiori sensu, vel appetitu, vel etiam in intellectu ex motione seu imperio voluntatis fieri possunt. Imo etiam in ipsa voluntate, licet omnes actus ejus, quatenus ab ea sunt elicited, sint proprie interni, nihilominus, quatenus eadem voluntas per unum actum sibi imperat alium, imperatus vocatur a multis actus externus respectu imperantis,

et hic dicitur proprie et pure internus. Verumtamen, juxta communem usum, actus externus est actus alterius potentiæ a voluntate, et in hoc sensu nunc loquimur. Nam, et ille est externus maxime proprie, et propriam etiam habet difficultatem. De actibus vero a voluntate elicited, quatenus unus ab alio imperari aut ordinari potest, inferius tractando de bonitate actus interni, quæ ad meritum confert, commodius dicemus.

2. *Prima suppositio.* — Præterea, ut certa ab incertis secernamus, et punctum difficultatis, remota quæstione de nomine, attingamus, supponendum imprimis est nullum actum alterius potentiæ a voluntate esse meritorium, nisi a voluntate imperetur. Hoc manifestum est ex principio posito in cap. 4, quia non est meritorium actus nisi sit liber; sed nullus actus alterius potentiæ a voluntate non imperatus ab illa est liber, quia non immediate seu formaliter talis est, cum non elicatur a potentia libera; nec mediate seu denominative, cum non imperetur a potentia libera, ut supponitur; ergo nullo modo est meritorium. Potestque confirmari, quia simili modo nullus actus externus, quantumvis malus vel prohibitus sit, est demeritorius, nisi aliquo modo a libera voluntate sit; ergo idem est in merito. Unde est illa vulgaris sententia Augustini, *voluntatem esse qua peccatur, aut recte vivitur.* Neque in hoc diversitatem opinionum invenio. Solum posset allegari Durandus, quatenus opinatur intellectum esse potentiam formaliter liberam, sicut est voluntas; nam, si id verum est, cessat ratio facta et optime defendi potest, imo consequenter dicendum erit in actu intellectus etiam non imperato a voluntate posse esse meritum, ut in actu fidei. Illa vero opinio Durandi falsa est, et jam communi sensu rejecta. Simili modo posset in contrarium referri opinio tribuens appetitui sensitivo formalem libertatem. Sed illa etiam opinio falsa est. Præterquam quod illa etiam non admittit in appetitu libertatem perfectam quæ postulat indifferentiam inter honestum et turpe, sed inferiorem quæ ad meritum non sufficit. Et fortasse quippiam simile dicere posset Durandus de libertate intellectus. Solum ergo superest in hoc puncto advertendum, nomine *imperii* voluntatis, comprehendendam esse non solum motionem activam voluntatis, quam in rigore significare videtur illa vox voluntati attributa, sed etiam voluntatem libere *acceptantem* externam mo-

tionem vel passionem. Nam passio Christi non fuit ab illius voluntate priori modo imperata, quia non fuit actio ejus, et nihilominus fuit meritoria, quia fuit libere acceptata; et idem est de passionibus Martyrum et similibus afflictionibus quas quidem homo in se non efficit, sed patienter ac voluntarie sustinet. Idemque in pravis motibus, vel delectationibus quas homo interdum ab extrinseco patitur, et nihilominus peccaminosæ fiunt, ac meritorie supplicii, si consensu sufficienter libero acceptentur. Ratio autem hujus denominationis ex dicendis patebit.

3. *Secunda suppositio.* — Unde suppono secundo actum externum et libere factum, simpliciter loquendo, esse meritorium. In hoc conveniunt omnes Theologi statim citandi, et est certissimum, quia Scriptura non solis bonis voluntatibus, sed etiam bonis operibus et laboribus, etiam corporalibus, præmium promittit, juxta illud Pauli, 2 ad Corinth. 5: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum;* et 1 ad Corinth. 15: *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Et Matt. 10, dare potum aquæ frigidæ dicitur non cariturum mercede, et idem dicitur de externa confessione Christi ibidem, et de passionibus propter Christum toleratis ibidem, et secundo ad Corinth. quarto, momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus dicitur operari in nobis, utique si voluntarie toleretur. Ratio autem est, quia actus externus, voluntarie factus, est simpliciter actus humanus et bonus, et cedit in obsequium et gloriam Dei, et ab illo vel præcipitur, vel consulitur, vel approbatur; ergo de se est capax meriti, etiam apud Deum. Sicut etiam actus malus, etiam externus, est vere peccatum, et supplicio dignus, unde etiam est necessaria confessionis materia, si peccatum mortale sit.

4. *Proponitur quæstio præsentis capituli.* — *Opinio affirmans.* — His ergo suppositis, quæstio de re superest, an actus externus habeat proprium meritum distinctum a merito voluntatis, ita ut majus præmium utrique actui simul respondeat, quam soli actui voluntatis, sive meritum actus interni et externi dicantur simpliciter duo merita, sive unum tantum quasi compositum ex illis duobus; hoc enim spectat ad quæstionem de nomine; nam res eadem est, si in actu externo ponitur intrinsecum meritum distinctum a merito, quod est

in actu voluntatis, licet ex utroque componatur unum majus meritum. Est ergo prima opinio affirmans actum externum a bona voluntate imperatum habere suum proprium meritum, ratione cujus simpliciter apud Deum magis meritorium est velle et facere quam solum velle, etiamsi utrumque velle æquale sit, ita enim est comparatio facienda. Ita tenuit Scotus, quodlib. decimo octavo, artic. 3, quia idem sensit de bonitate morali. Unde simpliciter docet in actu exteriori esse peculiare meritum, et in interiori ac exteriori simul esse majus meritum quam in solo interiori, vel potius esse duo merita, sicut sunt duæ bonitates, et duæ imputabiles, ut ipse loquitur. Unde cum simpliciter et sine distinctione loquatur, videtur profecto loqui de merito, etiam in ordine ad præmium essentielle. Ad hanc sententiam ex parte accedit Durandus in secundo, dist. 42, quæstion. secunda, diverso tamen modo; nam cum ipse non cognoscat meritum de condigno apud Deum, sed de congruo, addit congruum esse ut magis remuneret voluntatem cum opere quam sine illo, quia plus transfert in Deum, ut ipse loquitur, id est, plus illi servit, qui vult et operatur, quam qui tantum desiderat. Addit vero hanc inæqualitatem esse in præmio accidentali, non essentiali, quod soli divinæ ordinationi tribuit.

5. *Ejus ratio prima.*—*Secunda.*—*Tertia.*—*Quarta.*—*Quinta.*—Hæc sententia suaderi potest primo, quia actus exterior habet suam propriam bonitatem ac difficultatem, atque gloriam utilitatem in ordine ad obsequium et gloriam Dei, et est actus simpliciter liber; ergo etiam habet suum proprium meritum distinctum a merito voluntatis. Neque obstat quod suam libertatem habeat ab imperio voluntatis, tum quia hoc non obstat, quominus illa libertas sit distincta; nam licet proveniat ab eadem radice, diverso tamen modo, quod satis est ut sit distincta in utroque actu; tum etiam quia, ut meritum augeatur, satis est quod plures conditiones meriti augeantur, licet non augeantur omnes, ut per se est satis notum, et infra etiam videbimus; ergo, ut meritum augeatur ratione actus exterioris, satis est quod augeatur bonitas saltem extensive, et difficultas operis et obsequium Dei, etiamsi non multiplicetur libertas. Et secundo confirmatur hæc ratio, quia majus auxilium gratiæ necessarium est ad volendum et exequendum opus pietatis quam ad volendum tantum, ut constat ex Augustino, de Grat. et lib. arbit., c. 17, et in Enchirid., c. 32; ergo

signum est augeri bonitatem et difficultatem operis per ipsum actum externum, alias non esset cur majus gratiæ auxilium ad illum postuleretur. Tertio, martyrium re ipsa toleratum majoris meriti est quam sub voluntate desideratum; ergo eadem est ratio de aliis actibus meritoriis. Antecedens sumitur ex communi sententia Theologorum, qui solos illos reputant veros Martyres, et peculiari gloria dignos, qui re ipsa externam mortem passi sunt, quod certe non ita esset nisi majoris esset meriti. Unde etiam Bernardus, epist. 77 ad Hugon., indubitanter putat ad meriti cumulum martyrium accedere. Quarto, solent ab incommodis sumi argumenta, quia sequitur eum, qui toto conatu, quantum potest, desiderat infinite amare Deum, tantumdem mereri ac si re ipsa infinite amaret; et illum, qui similiter cuperet infinitos homines a miseria peccati liberare, vel infinitas divitias pauperibus erogare, perinde mereretur ac si re ipsa et exterius illa opera fecisset. Ac denique qui cuperet mereri apud Deum vel servire illi, quantum Apostoli, aut Beata Virgo meruit vel servivit, per illum affectum posset æquare illorum merita, quæ per se satis absurda sunt. Quinto, possumus a contrario argumentari; nam peccatum, executioni mandatum quoad opus externum, majoris pœnæ meritorium est; ergo, etc. Antecedens patet, tum ex usu Ecclesiæ, quæ punit censuris et irregularitatibus peccata externo opere completa et non alia, et legum civilium, quæ aliter puniunt externa malefacta completa quam attentata; tum ex Augustino, quem Scotus refert, lib. 13 de Trin., c. 5, dicente: *Mala voluntate vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate qua desiderium malæ voluntatis impletur*; ergo executio malæ voluntatis, quæ non est nisi externus actus, hominem miseriorem facit teste Augustino, ac proinde majori pœna dignum; ergo executio bonæ voluntatis facit hominem feliciorum, seu majori beatitudine dignum.

6. *Secunda opinio, seu assertio negans et communiter recepta.*—*Varij tamen casus dantur in quibus majus meritum accedit actui interno ea occasione externi.*—Nihilominus contraria sententia communis est Theologorum. Eam tenet D. Thomas 1. 2, quæst. 20, art. 4, nam, licet de bonitate et malitia loquatur, in fine corporis articuli, de merito tam boni quam mali operis, dicit non minui propter defectum actus externi, quando ille non est in po-

testate volentis. Et ita sequuntur ibi Conradus, Cajetanus, Medina, et alii Moderni interpretes; et Capreolus in 1, distinct. 42, q. 1, art. 1, conclus. 4, et ad 5 contra illam; et ibidem Gabriel, quæst. unic., a. 2, conclus. 1; et ibidem Gregorius quæst. unic., concl. 7; Bonaventura, art. 1, quæst. 2, ubi loquitur de opere malo, et idem docuerat dist. 40, art. 1, quæst. 3. Idem Richardus, in 2, d. 42, art. 1, quæst. 1, ad 4; citatur et Hugo de Sanct. Victor. in tom. 3, lib. 2 de Sacram., 4 p., c. 6, apud Vazquez 1. 2, disp. 16, c. 2. Et est sine dubio vera sententia. Quæ imprimis intelligenda est, supposita æqualitate in actibus voluntatis. Nam, si conjunctione ad actum exterioriorem, actus ipse interior crescat, vel in fervore et intensione, vel in majori continuatione aut similibus circumstantiis, tunc quidem majus meritum erit in exequente opus quam in volente tantum; tunc autem augmentum meriti non est propter externum actum, sed propter id quod additur interno. Comparatio ergo facienda est cæteris existentibus paribus in interno actu voluntatis, et sic dicimus solum actum externum non addere aliud quod meritum.

7. *Casus alter ad idem.*—Atque hinc infertur regula, quotiescumque opus externum bonum est in hominis potestate, non posse esse æquale meritum in sola voluntate non exequente opus, et in exequente illud. Ratio est, quia tunc non est æqualis voluntas in utroque, nam in uno est efficax, et non in alio. Quia de ratione voluntatis est, ut id exequatur quod vult, si ipsa est efficax, et executio est in ejus potestate; unde, e contrario, si actus est in potestate volentis, et nihilominus non facit, signum evidens est non efficaciter velle, sed tantum per desiderium inefficax, quod simplex affectus dicitur, vel conditionata voluntas, vel potius velleitas. Et tunc habet locum quod monet Joannes, epistol. 1, capit. 3: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*; et quod dixit Gregorius in Psalm. 7 Pœnit.: *Non sufficit bene velle, nisi sequitur et facere*; et Ambrosius, libro secundo de Offic., capit. 30: *Non satis est bene velle, sed opus est bene facere, utique cum possumus*. Sic ergo comparando duos habentes potestatem exterius benefaciendi, et voluntatem, quorum unus exterius operetur, et non alter, sine dubio, per se loquendo, et ex parte actus, magis meretur exterius operans quam interius tantum desiderans; excessus autem non est

in solo externo actu, sed in meliori interno.

8. *Instantia contra præcedentem casum sive regulam.*—*Solvitur.*—Dices: interdum aliquis potens et desiderans audire Missam, verbi gratia, vel facere eleemosynam, potest omittere actum, propter tam justam causam, ut non minuat meritum voluntatis ejus; ergo non est certa dicta regula, quia tunc ille non minus merebitur quam alter qui operetur. Respondetur imprimis tunc posse aliunde compensari meritum, scilicet, ex alia justa voluntate, quæ illum ab executione talis actus detinet; nos autem locuti sumus per se, et rebus eodem modo se habentibus in illis duobus. Unde secundo dicitur in illo casu intervenire in eo, qui ex justa causa externum actum omittit, quamdam moralem impotentiam exequendi voluntatem, quia, licet habeat physicam facultatem, habet tamen illam moraliter ligatam, vel præcepto, vel consilio prohibente tunc voluntatis suæ executionem, et inde fieri optime potest ut voluntas non minus sit prompta in non operante quam in operante. Regula ergo posita intelligitur, quando actus est simpliciter et æqualiter possibilis, tam physice quam moraliter, et sic est certissima et communiter recepta ab auctoribus utriusque sententiæ, quia ratione facta convincitur.

9. *In prædictis casibus semper stat veritas assertionis negativæ.*—Quamvis autem in dicto casu et comparatione, is qui operatur, cum vult et potest, magis mereatur quam alter, qui cum simili potestate non operatur, licet aliquam habeat voluntatem, nihilominus totus excessus meriti est in actu interno, ac proinde, si in ipsomet, qui operatur, mente distinguamus interiorem voluntatem ab actu externo, et consideremus actum internum, ut habentem prius natura suum meritum, sicut et prius natura habet suum esse, quandoquidem est causa efficiens actus externi, sic actus externus posterius natura existens nihil meriti addit, seu nullum internum meritum secum affert, sed potius ab interiori actu externus meritorius denominatur, vel, quod perinde est, sicut ex actu externo et interno unus actus moralis componitur, cujus veluti tota forma in esse moris est actus internum, ita etiam ex utroque actu componitur unus actus meritorius, cujus tota forma in esse meriti est internum. Hic ergo est legitimus sensus secundæ sententiæ D. Thomæ, et communis, quam verissimam judicavimus.

10. *Ejus fundamentum primum ex variis lo-*

Scripturæ. — Et probatur primo, quia est consentanea Scripturis. Dicit enim Christus, Matt. 5: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est in corde suo.* Unde Augustinus, l. 1 de Liber. arb., c. 3, hoc tacite explicans addit: *Si cui non contingat facultas concubandi cum conjuge aliena, plenum tamen aliquo modo sit id eum cupere, et si potestas detur facturum esse, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur.* Hinc etiam ait Bernardus, epist. 77, manifeste probari voluntatem pro facto reputari, ubi illud excludit necessitas, tam in bonis quam in malis: *Nisi forte (inquit) putetur in malo quam in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum, quæ charitas est, et promptior esse ad ulciscendum, quam ad remunerandum reputetur misericors et miserator Dominus; ergo in bonis sicut in malis voluntas reputatur pro facto apud Deum.* Idem fere eodem modo colligit Cassianus, l. 8 de Institut. renunt., c. 19, ex illo 1 Joan. 3: *Qui fratrem suum odit, homicida est,* intelligens, licet non sequatur effectus, esse homicidam affectu apud Deum, et subdit: *Qui non solum pro operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio, aut præmium reddet, aut penam.* Quod optime etiam confirmat exemplum Abrahæ, Gen. 22, qui non minus meruit apud Dominum, impeditus ab Angelo ne occideret filium, ac si exterius illum sacrificasset, utique propter definitam voluntatem, ratione cujus dictum est: *Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo propter,* etc. Sic igitur quoties factum excludit necessitas, tantum meretur sola voluntas quantum meretur voluntas operans, si posset; ergo operatio non addit meritum voluntati, per se loquendo, et cæteris paribus.

11. *Fundamentum secundum ex variis locis.* — Secundo, Marc. 12, et Luc. 21, de vidua paupere mittente in gazophylacium duo minuta, dixit Dominus: *Vidua hæc pauper plus quam omnes misit;* quod duplici ratione Patres exponunt: primo, secundum quantitatem, non absolutam, sed respectivam, quia, licet divites majorem quantitatem pecuniarum offerrent, tamen per comparationem ad facultatem dantis, plus pauper vidua offerebat quam Pharisæus dives; secundo, ex quantitate affectus, quia vidua majori affectu offerebat. Et unum sequitur ex alio; nam, ut inquit D. Thomas 2. 2, quæst. 32, art. 4, ad 3, quia vidua plus dedit secundum suam proportionem, inde pensatur

in ipsa major charitatis affectus. Idemque sensit Ambrosius, l. 2 Officior., c. 30, dicens: *Duo æra viduæ illius divitum muneribus prætulit, quia totum illa quod habuit contulit, illi autem ex abundantia partem exigam contulerunt,* unde infert: *Affectus igitur divitem collationem aut pauperem facit, et pretium rebus imponit.* Idem sensit libro de Viduis, ante medium, dicens: *Uberior est nummus e parvo quam thesaurus e maximo, quia non quantum detur, sed quantum resideat expenditur.* Unde inferius colligit: *Non ergo quid fastidio expuas, sed quantum devotione conferas aestimandum est.* Ex quo non leve sumitur argumentum, quia in externo actu plus facit dives quam pauper, et tamen non plus meretur, imo minus, si voluntas pauperis major sit, vel æqualiter, si considerata proportione voluntas pauperis æqualis censeatur; ergo signum est totum meritum ex voluntate mensurari.

12. *Applicatur amplius exemplum de vidua paupere pro assertione.* — Et inde ulterius optima proportione colligitur, si aliquis sit ita pauper ut nihil offerre possit, et æqualem habeat voluntatem offerendi, apud Deum non minus offerre, nec minus mereri, quia eadem proportio in eo spectari potest, quia sicut illi æqualiter offerunt, quia offerunt quod possunt, licet plus vel minus offerant, ita hic offert quantum potest, scilicet, affectum, seu externum actum in desiderio. Quam doctrinam confirmat Gregorius, homilia 5 in Evang., dicens: *Ante Dei oculos nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate;* et affert illud Psal. 55: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi;* et exponit: *Ac si aperte dicat: Et si exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen incensio, quod in ara tuæ laudis impono, quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris.* Et eodem modo expendit illam Christi sententiam D. Bonaventura, Luc. 21, ubi alia in ejus confirmationem adducit, et similiter Chrysostomus, homilia tertia in epist. ad Timoth., dicens: *Vidua illa, quæ duo minuta miserat, pro alacritate voluntatis nihil minus divitibus intulit,* et Cyprianus in tract. de Opere et eleemosynis, eundem locum tractans dicit: *Dominus non de patrimonio, sed de animo opus ejus examinans et considerans, non quantum, sed ex quanto dedisset, dixit: Vidua ista plus misit in dona Dei.*

13. *Fundamentum tertium ex loco Pauli non satis perspecto alii afferunt.* — Tertio, solent ad hoc confirmandum adduci verba Paul., 2 ad Corinth. 8: *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet;* ac si sensus sit: Non minus acceptatur a Deo ejus promptitudo, etiamsi pauca operetur, quam si magna, quæ vult, operaretur, quia non potest majora operari. Sed revera non est hic sensus Pauli; imo vero colligere inde posset aliquis voluntatem non acceptari, nisi quantum ad id quod potest exequi, ut ibi objicit Cajetanus; hortatur ergo ibi Paulus Corinthios ad quasdam eleemosynas conferendas, et, quia promptam voluntatem in eis senserat, ad illam exequendam monet, dicens: *Hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle cepistis ab anno priori, nunc vero et facta perficite, et quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi,* et quoad hoc adhibet limitationem, dicens, *ex eo quod habetis,* quia nimirum, licet voluntas sit prompta, non acceptatur, id est, non postulatur, seu non exigitur ab ea ut plus faciat quam possit. Et ita exponunt ibi Chrysostomus et Græci, et indicant etiam Ambrosius et alii.

14. *Ex vero illo sensu probabiliter arguitur tertio loco pro assertione.* — Nihilominus ex hoc vero sensu probabile sumitur argumentum; nam Deus approbat et acceptat promptitudinem voluntatis, quæ extenditur ultra id quod potest, dummodo impleat quod potest. Unde cum Paulus ait: *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est,* etc., non est sensus, Deum non habere gratam et acceptam majorem promptitudinem, hoc enim alienum est a bonitate Dei; est ergo sensus, Deo acceptam esse totam illam voluntatem, licet ab ea non exigat ut exequatur nisi quod potest; ergo etiam in eo quod non potest, æque accepta est, si est æque prompta, etiamsi illud non perficiat, et consequenti ratione si æque prompta est voluntas, etiamsi nihil faciat, quia nihil potest, æque erit grata et accepta. Atque hoc modo videtur exponere locum illum Cyprianus, l. 3 ad Quirin., ubi cum dixisset in opere et eleemosynis, etiamsi per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem satis esse, id confirmat prædicto testimonio Pauli. Ex quibus obiter ostensum est hanc sententiam non solum Scripturæ, sed etiam Patribus esse consentaneam; nam illi multum favent Cypria-

nus, Augustinus, Chrysostomus, Gregorius, Ambrosius, Bernardus et Cassianus, in locis allegatis.

15. *Externum opus ad voluntatem dupliciter comparatus.* — Ratione probatur ulterius assertio. — Confirmatur primo: — Secundo. — Tertio. — Ut ratione probetur assertio, advertere oportet opus externum duobus modis comparari ad voluntatem internam, scilicet, et ut objectum, et ut effectum; et priori ratione est actus exterior prior intentione, sub altera vero ratione est posterior in executione. Unde actus externus priorem rationem retinet respectu voluntatis, sive in actum externum prodeat, sive non prodeat; posteriorem autem rationem non habet, nisi quando in re seu in executione conjungitur voluntati. Jam ergo argumentor in hunc modum, nam si actus exterior consideretur ut præbens bonitatem vel dignitatem actui interno in suo genere causæ, tantam dignitatem ad meritum illi tribuit quando in re non fit, quantum tribuit quando fit; si vero consideretur actus exterior pure ut effectus voluntatis, nihil per se addit conferens ad meritum; ergo totum meritum est in voluntate ut terminata ad actum externum per modum objecti, effectus autem subsecutus nihil addit meriti. Prima pars antecedentis manifesta est, quia uterque actus, ut objicitur voluntati, æque bonus est, et, ut supponimus, etiam voluntas æque tendit in utrumque; ergo æqualem bonitatem vel dignitatem moralem ab utroque accipit. Altera vero pars probatur, quia imprimis actus exterior, sub ratione effectus consideratus, nihil confert actui interno, quia, ut sic, non est causa, sed effectus ejus, neque est prior, sed posterior illo. Deinde neque actus exterior per se ac formaliter spectatus augere potest moralem dignitatem totius operis ut compositi ex actu interno et externo, quia, supposito actu interno, in emanatione actus externi ab interno nulla est moralitas, quia nulla est indifferentia seu libertas, sed necessitate omnino naturali sequitur actus externus posito interno; ergo actus externus per se nullam conditionem moralem addit actui interiori, ratione cujus actus ex illo compositus magis meritorius esse possit. Confirmatur et declaratur; nam si fingamus hominem sola voluntate posse immediate movere baculum, sicut Angelus movet cælum, tunc certe motus baculi externus nihil meriti vel moralitatis addere posset voluntati movendi illum, sicut si Angelus